

De vi atque usu nicotianae tabaci.

Contributors

Draeger, Carol. Bernhard.
Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library

Publication/Creation

Halae : C. Grunert, [1838]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/w6uzvq2n>

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library at Yale University, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library at Yale University. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

RC 567
838 D

DE
VI ATQUE USU
NICOTIANAE TABACI.



YALE
MEDICAL LIBRARY



HISTORICAL
LIBRARY

TRANSFERRED FROM
YALE UNIVERSITY LIBRARY

473
DE
VI ATQUE USU
NICOTIANAE TABACI.



DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS HALENSIS
UT
SUMMOS HONORES
IN MEDICINA ET CHIRURGIA
RITE ADIPISCATUR
DIE VI. SEPTEMBRIS MDCCCXXXVIII.
UNA CUM THESIS
PUBLICAE DEFENDET

AUCTOR
CAROL. BERNHARD. DRAEGER
STEINBACHIENSIS

OPPONENTIBUS
JAC. KLINGEBIEL, MED. CAND.
HERM. RATH, MED. DD.

HALAE
TYPIS CAROLI GRUNERT.

VI ATQUE
NICOTIANAE TABACI

DISSECTATIO
IN ANATOMIA
MEDICORUM ORIGINIS NATURALIS

PETRO RIVINII
IN MEDICINAE
UNIVERSITATE
PRÆCEPTORIS

CHIRURGICÆ, ANATOMICÆ, ET
PHYSICÆ

OPROBRIIS
JAC. KLINCKHED, MED. CAND.
HERM. RYDII, MED. DO.

HAARLEM
1711

RC 567

V I R O

AMPLISSIMO ERUDITISSIMO

INTEGRERRIMO

PETRO KRUKENBERG

**MEDICINAE ATQUE CHIRURGIAE DOCTORI,
MEDICINAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI
CLINICI MEDICI HALENSIS DIRECTORI, REGI BORUSSIAE
A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS
ETC. ETC.**

PRAECEPTORI

DILECTISSIMO MAXIME VENERANDO

PIRELLA GÖTTSCHE LOWE

NEW YORK, N.Y.

ADVERTISING AGENCY

ADAM ROO

FOR A MORE EFFECTIVE

MARKETING STRATEGY

PETRO KRUKENBERG

MANAGING DIRECTOR

SENIOR VICE PRESIDENT

CHIEF FINANCIAL OFFICER

CHIEF OF STAFF

ETC.

RECEIVED

DECEMBER 1, 1901

NEW YORK, N.Y.

1901

ADVERTISING AGENCY

V I R O

**HUMANISSIMO DOCTISSIMO
ADMODUM REVERENDO**

DOMINO

FRANC. HUEHNERMUND

BAROCHO STEINBACHIENSI, PATRINO DILECTISSIMO

NEC NON

V I R O

ORNATISSIMO HUMANISSIMO

ADAMO FREUNDLIEB

SECRETARIO REGIO WORBIENSI

AFFINI

AMICISSIMO DILECTISSIMO

V I R O

HUMANISSIMO DOCTISSIMO

ADMODUM REVERENDO

DOMINO

FRANC. HILFENRUND HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

V I R O

ORNATISSIMO HUMANISSIMO

ADAMO FREUNDLER

PROFESSORIS REGIO WORMSII

ALFREDI

AMICISSIMO DILECTISSIMO

AUCTOR.

Herbae nicotianae quotannis multa per omnes terras vis luxuria quadam consumitur, sed perperam multi multos inde deducunt morbos, immo nisi immoderate nicotiana utaris dāmnosa habenda non est. Qua de re nonnulla imperia, quae tabacum importari vetuerunt, omnino recte non fecere, neque, quae in universum tabaci usum prohibuere, neque Iacobus rex, qui Philippicam quandam contra hanc herbam scripsit, aut Amaradius IV., qui fumum sugere crimen capitale haberi iussit, aut papae, qui eos excommunicaverunt, qui nicotiana uti consueverant; adeo in Russia olim, qui fumum sugebant, nasum perdendi periculum adiebant, atque in pago Bernensi fumum sugere secundum habebatur post stuprum crimen. Neque tamen infitias ire debemus tabacum immoderate usurpatum pro veneno vehementissimo habendum esse atque omnes eius partes quacunque forma et qualibet ratione adhibitas venenorum in modum agere, quamquam ipsa forma atque adhibendi ratione effectus immutatur, fumus enim minus valet, quam infusum, externo lentius usus internus, et ille minus damnum affert, quam si per clysmā tabacum in corpus iniicias.

CAPUT I.

**Quomodo organismus noster
tabaco afficiatur.**

§. 1.

Foliorum nicotianae vapores, si diutius atque e magna tabaci copia orti hominem petunt, facillime vertiginem, maiorem aut minorem stuporem, veterumque efficiunt.

Faurcroy etiam narrat, puellam, quae in conclavi dormiebat, ubi multam nicotianam raserant, exortis inde vaporibus, interemtam esse.

§. 2.

In iis, qui sugendo fumum nondum assuevere, aut qui iusto plus et diutius sugunt tabacum, facile nausea, vertigo, inclinatio ad vomitum et diarrhoeam, deinde vomitus ipse et diarrhoea, aucta urinae secretio, coëundi cupido, denique lassitudo quaedam et syncope efficitur, quam profundus sequitur somnus.

Dr. Marshall Hall adolescentem narrat, qui primum duas pipas suxisset, statim nausea, vomitu, syncope, deinde anhelitu stertente, spasms universalibus atque pupillae immobilitate affectum esse; postridie etiam inclinatio ad syncopen nondum desierat et cum vesperasceret stupor et stertens respiratio redierunt;

attamen ab hoc inde tempore sensim sensimque revaluit. *)

Gmelinus mortem adeo immoderate sugendo fumum effectam esse memoriae prodidit duorum hominum, quorum unus XVII alter XVIII continenter pipas suxerat. **)

Quamquam qui intemperanter fumum sugunt, per raro tantum mortis adeunt periculum, tamen saepe inde oritur plethora abdominalis et qui hac consuetudine obligati sunt, si vespertino tempore multum suxerunt, paulo ante, quam somnum capiunt, aliquoties pertimescere solent, atque cordis motus iis desinere videtur, seseque putant suffocari, quam rem primum cordis palpitatione, deinde tandem somnus sequitur. Vehementius etiam ita ii afficiuntur, qui fumum sugentes theae viridis infusum bibunt, nam haec eandem fere, quam tabacum possidet vim; utraque enim herba cordis nervorum facultatem deprimit.

§. 3.

Qui pulvere tabaci sternutatorio intemperanter utuntur, ii iisdem fere quam qui sugunt fumum damnis obnoxii esse possunt. Namque huius pulveris usu nervi olfactorii facile redduntur insensibiles, nares inflammantur, ulcera in iis peiora excitantur, et qui hoc pulvere uti non solent, iis vehementior inde effecta sternutatio damnum etiam afferre potest. Lanzoni enim narrat, hominem quendam, pulvere sternutato-

*) Edinb. Med. and surg. journ. XII. II.

**) Gmelin Toxicologie, 550.

rio intemperantius naribus immisso, in veterum incidisse et post duodecim dies lethargosum esse mortuum. *)

Adeo Cheyne persuasum habet apoplexiam in iis habendam esse morbis, qui e nicotianae usu proficiunt, sed haec sententia eorum, qui et fumum sugunt et pulvere sternutatorio utuntur, refutari videtur valetudine. **)

§. 4.

In applicatione foliorum nicotianae ad cutem externam summa opus est prudentia, maiorique etiam, ubi laesa et corrosa; nam tum facillime nauseam, vertiginem, vomitum atque universalis defatigationis sensum ciet, et cum diutius in tales corporis partes nicotiana applicatur, universalis membrorum tremor levesque efficiuntur convulsiones; pulsus fit frequens et debilis, brevique difficilique respiratione postremo consequitur mors. Murray narrat, tres infantes postquam in vomitum, vertiginem, et multum sudorem inciderint, praeterlapsis XXIV horis, mortuos esse, quia mater ad tineam capitis ex qua liberi liberarint linimento tabaci usa esset.

Watterhal similem memoriae rem prodidit. Puer enim tribus horis obiit, postquam in tineam, qua laborabat, succum tabaci infuderant.

Experimenta in animalibus instituta simillimos ostendunt effectus.

I. Columbae enim postquam in femoris interiori latere ita feci cisionem, ut neque musculi ullius fibra laederetur neque animal sanguinem pederet, ad telam cel-

*) Ephem. cur. nat. Dec. II. Ann. X. p. 222.

**) On apoplexy and lethargy, p. 550.

lulosam unum fere scrupulum pulveris foliorum nicotianae pharmacopoeae borussicae, paululum aqua madefactorum, applicavi; quo facto expectavi, quid inde fieret. Statim luculenta apparuerunt symptomata, veneno organismum affectum esse. Columba enim anxiam accepit speciem, respirabat alte, post dimidiam minutam paralyti, utroque pede infracto, corruerat, perquam anxie atque alas valde agitando studebat avolare, aliquoties late aperiebat rostrum, tamquam ad vomitum, nec tamen vomuit, neque urina aut faeces eiectae sunt. Simul vero alia totius corporis convulsio aliam sequebatur; caput erat retractum, oculi late aperti, pupilla magna et paene immobilis, rostrum continenter pauxillum aperiebat, lente et anxie respirabat, pulsus cordis erat frequentissimus. Postremo inquietudo desinebat, alas non amplius columba agitabat, atque respiratione facta lentissima et profundissima, animal praeterlapsis post applicationem tabaci in vulnus quinque minutis levi convulsione obiit. Sectione facta nihil ullius momenti animadversum est.

II. Simile porro experimentum feci in gallo gallinaeo. Huius in femoris interiori latere item facta cisione, in vulnus scrupulum unum foliorum nicotianae pulveris intuli. Nunc quoque manifesta animadversa sunt symptomata gallum veneno esse imbutum. Statim enim animal lassum exstitit et defatigatum, demisso capite lente alteque respiravit, paralyti secuta est extremitatum inferiorum, serius tamen, quam in priori experimento, pes sinister non laesus paralyti prior infirmatus est. (Omnino cum experimenta in avibus instituerem, priorem sinistri pedis paralytin animadverti.)

Animal iacebat perpetuo in latere, vomituritio et faeces separandi studium non apparuerunt. Pulsus cordis frequentissimus, caput valde ad tergum fuit retractum, pupilla vehementer angusta, iris celeriter mota est. Animal magis magisque defatigari visum neque mortem non continuo secuturam expectavi, nihilo secius post unam fere et dimidiam horam gallus recreatus cibum capiendi cupidinem prae se tulit, et ex aperto vulnere nicotiana remota, omnino vires recuperavit.

III. Caniculi in femoris vulnus eadem ac antea ratione drachma una pulveris foliorum nicotianae illata, superiora symptomata non animadversa sunt, nisi quod animal anxium et incitatum visum est, postero tamen mane mortuum erat.

§. 5.

Interne adhibita pro dosis et formae diversitate varios nicotiana ciet effectus; vehementissime, ut alia quoque multa huius familiae remedia, in intestinum rectum applicitum valet.

Per minores sumpta doses primum auget secretionem in membrana canalibus intestinorum mucosa, efficaciam vasorum resorbentium, ideoque secretionem urinae. Proximus praesertim, cum per infusum nicotiana adhibetur, effectus semper pungens quidam et praeteriens caloris in gula sensus, quem saepe item caloris in ventriculo sensus sequitur, tamquam vini adusti haustum sumsisses. Proximo autem universali minorum dosium effectum urinae augetur secretio, qui effectus modo cum vertigine coniunctus est, modo non; saepe fluxus etiam alvi cietur in universum vertigine, taedio aut nausea

comite; dolores, qui adsunt, deliniantur; in nonnullis tabaco dormiendi cupiditas efficitur, somnusque auge-
tur; in aliis item cupido dormiendi, cui adiunctus est
caloris et inquietudinis sensus; nonnunquam dolores
quoque colici, diarrhoea, vomitus, vehemens et uni-
versalis sudor, immo capitis dolores aut membrorum tre-
mor animadvertuntur. Ubi per maiores doses tabacum
usurpatur, vomitus vehemens diarrhoeaque cientur.
Paulo post haustum remedium magnae sensus inquietu-
dinis, anxietatis atque angustiae in pectore atque regio-
ne hypochondriaca evadit; respiratio profunda existit et
abrupta, deinde magna vomituritio, vomitusque et di-
arrhoea consequitur, quo facto ingens lassitudo, ner-
vorum relaxatio, debilitas et proprius membrorum, qui
numquam deest, tremor nascuntur. Anxietatis cum in-
clinatione ad deliquium animi coniunctus sensus, quem
levium quoque convulsionum saepe comitantur impetus,
augetur aliquamdiu; simul pulsus fit parvus, debilis,
partes exteriores, inferiores imprimis extremitates, or-
ganicum perdunt calorem, iisdem praecipue in membris
convulsiones vehementiores oriuntur, quas mox deinde
paralysis torporque harum partium excipit. Qui si ap-
parent effectus, pupilla angustior fit, id quod exter-
num etiam tabaci infusum ad oculum applicatum elicit,
ut ego saepius in experimentis, quae institui, observa-
vi. Neque memoratu indignum est, paralysi inferiores
tantum fere semper extremitates affici; nervi sensorii
illaesi sunt et motorii tantum infirmati.

Neque tamen simul sensus organa valde afficiuntur;
animalia enim, in quibus institui experimenta, alacrem
semper neque tristem plerumque prae se tulerunt vul-

tum, rebusque externis commota eas evitare studuerunt, quamquam veneficii symptomata clarissima apparere. Qui ubi paralysis status, quem continenter vomituritio saepeque etiam ipse vomitus comitantur, longius breviusve temporis spatium duravit, profundus sequitur continuusque somnus, qui ut desiit veneficii quoque symptomata paralysisque evanuerunt, neque nisi lassitudo quaedam defatigatioque totius corporis, quae et ipsae mox desinunt, animadvertuntur.

Quodsi doses etiam augentur ad 3v — vi, symptomata superiora multo citius vehementiusque ex sistunt atque post longius breviusve tempus universali corporis tremore, quem paralysis extremitatum antecedere solet, et profunda operosaque respiratione sequitur mors.

Santeuil, vir celeberrimus, vomitu vehementibusque doloribus obiisse dicitur, quod vinum biberat cui tabacum immixtum fuerat. *)

Fautrel hominem mori se vidisse narrat, qui quantum cochlear capit, tantum succi hauserat nigri, qui oritur, cum fumum sugunt. **)

Quae antecedunt his demonstrari videntur experimentis.

I. Orfila enim cum ventriculo canis satis robusti 3vß tabaci intulisset, ligatura oesophago circumdata, paucis minutis post vomere animal contendit, incessus lentior factus est, vertigo etiam et continuus inferiorum extremitatum tremor ortus, sensus organa vacua esse

*) Orfila toxicologie gén. II. 280.

**) Journal de chimie médicale de pharmacie, de toxicologie et revue des nouvelles scientifiques nationales et étrangères. Nro. VII. tom. IV. II. Série Juillet. p. 317.

visa, respiratio autem paulo concitator; post paucas horas animal in latus stratum, quoniam non amplius stare valebat, caput continenter tremuit, nuchae musculi levi convulsione commoti, membra languida; physiognomia stuporis speciem ostendit, respiratio profunda, laboriosa, concitata, cordis pulsus frequens, paulo fortior fuit et post IX horas, quam tabacum injectum erat, animal mortuum est.

II. Item ℥i siccorum nicotianae foliorum una cum ℥vi aquae per horam cocta, fluidum collatum evaporatione ad quatuor et dimidiam unciam redactum est. Quo facto cum fluidum ventriculo canis bene nutriti, mediae magnitudinis, iniectum esset, ligatura oesophago circumdata, post tres minutas animal vomiturum esse visum, idque per primam horam saepius repetuit, deinde initio extremitates posteriores vehementer ceperunt tremere, id quod paulo post in omnibus membris animadversum est, quae deinde vicissim convulsionibus vehementioribus pressa sunt, et tribus horis post illatum fluidum animal obiit.

Facta utriusque animalis sectione, ventriculum levius narrat Orfila fuisse inflammatum, pulmones lividis conspersos maculis telaque magis compacta, quam firma valetudine esse solent.*)

III. Equidem cum pullae columbae quatuor grana extracti nicotianae ventriculo intulissem, atque ne vomitu extractum eiiceretur, ita cavissem, ut nostrum obligarem, quamquam columba per plures minutas insensibilis manere videbatur, tamen eam non bene ha-

*) Orfila toxicologie, II.

bere animadverti, quæta fuit sæpiusque oculos clausit. Paulo postea vomituritio orta, brevibus intervallis repetita; deinde postquam præcipitavit columba, primum sinistri, tum dextri quoque pedis paralysis consecuta est, neque vomituritio desiit. Simul omnia membra tremere, animal valde fuit inquietum vicissimque avolare studuit. Organa sensus illaesa fuere. Postremo post horæ quadrantem vomituritio desiit, animal defatigatum et lassum fuit, cordis pulsus frequentissimus, et post quinque horas columba levibus convulsionibus periit. Sectione instituta, gravius nihil repertum; extractum nicotianæ adhuc maximam partem in gutture adfuit præcipue pisis adhaerens, quæ columba pasta erat, in ventriculo et intestinis extracti vestigium non observatum.

§. 6.

Validissima perniciosissimaque, ut iam supra memoravimus, nicotiana est, ubi per clysmata usurpatur, quam quidem in formam redacta et plerumque adhibetur et si providus rei que medicus peritus ea utitur, saluberrimum est remedium. Sive fumum, sive decoctum, sive infusum clysterizando adhibes, omnino veneficium paralysisque æque apparet; infusi autem effectus vehementissimi sunt, statimque post applicitum clyσμα animadvertuntur; neque tamen negligendum est clysmatum tabaci effectus, quamvis eandem formam dosimque conserves, pro ætate, corporis constitutione, genere etc. esse diversos, consuetudinemque magni esse momenti; qui iam dudum fumum sugere consueverant et robusti homines, non tantopere afficiuntur clysmatibus, quam quorum corpus fluxum et debile, qui-

quique tabaco non adsuevere. Alius in alio tempore effectus animadvertitur, et quamquam in aliis parvae ipsae doses lethales sunt, in aliis multo maiorum levis tantum effectus. Quae in universum clysmata, si minores adhibeas doses, (i. e. si unius sive duarum drachmarum, quibus aq. ζ x infusae sunt, dimidiam partem corpori iniiceas) phaenomena sequuntur, haec fere sunt:

Aegroti mox de anxietatis quodam per totum corpus divulgatae sensu queri incipiunt; dolores, quibus cruciantur, statim interdum amittuntur; simul defatigatione quadam obruuntur, vertiginem, vomituritionem vomitumque etiam ipsum, leves imprimis in abdominis musculis convulsiones, inclinationemque trahunt ad deliquium animi; respiratio difficilis est et profunda, pulsus rariores et sudores frigidi, quo facto aegroti profundum tranquillumque capiunt somnum, quo praeterlapso haec quoque symptomata evanuisse solent. Sin autem dosin auctiorem (dimidiam sive unam circiter unciam) aut minores doses supra dictas, iusto pluries brevioribusque intervallis adhibeas, aut ubi aegrotus talis est, ut facile doleat: tum quae supra memorata sunt phaenomena, multo apparent vehementiora. E vestigio interdum magnae convulsiones oriuntur, quas aut ad syncopen inclinatio aut ipsae comitantur eaeque continuae syncopae; simul vultus pallescit et collabitur, pulsus fit parvus, debilis, frequentissimus; cor palpitat violenter, respiratio difficillima est et profunda, et postremo spiritu profundo, breviori et abrupto et universali membrorum tremore celeriter accedit mors.

Veneficiorum hac re tabaco factorum exempla mul-

tis in libris et antiquis et recentibus reperiuntur et quotidie etiam facile eiusmodi res observes.

Astley Cooper hominem narrat, cuius ad herniam incarceratam infusi nicotianae clyisma, paratum ex ʒii adhibitum erat, cum post dimidiam horam hernia nondum recessisset, ad instituendam operationem in mensam esse prostratum; sed quia pulsus debilis vultusque collapsus fuisset et corpus multo sudore frigido coopertum animadvertissent, aegrotum in lectum reportatum esse, qua in re obiisset. *)

Item puellae, quae et ipsa hernia laborabat incarcerata, infusum unius drachmae tabaci per clysterem cum esset immissum, vehementes in abdomine dolores et vomitus sunt consecuti, quo materiem eiecit, quae tabacum valde oluit, atque triginta quinque minutis post clysmatis applicationem mortua est, quae quidem mors tabaco verisimile effecta est. **)

Anonymus quidam in Actis Helveticis scriptor memoriae prodidit feminam, quae clyisma unius unciae accepisset, doloribus in abdomine, anxietate inclinationibusque ad syncopen affectam, paucis horis praeterlapsis morte occubuisse. ***)

Ad Journ. chimie médicale femina clysmo, qui ex ʒi tabaci ad infusum paratum erat, quinque minutis interempta est. ****)

*) Astley Cooper Anatomie und chirurg. Behandlung der Leistenbrüche und der angeborenen Brüche. Aus d. Engl. Breslau 1809.

**) Ebendasselbst.

***) Acta Helvetica. 1762. V. 330.

****) Journal chimie médicale, Tom. 3. pages 23 et 592.

E narratione anonymi scriptoris in Med. and surg. journal homo, quem curabat, clysmate obiit post duas horas, quod ex 3II foliorum tabaci quibus 3VIII aquae infuserat, erat paratum.*)

Similia invenies in: Journal. Edinb. med. und surg. tom. 36. pag. 227. Hufelands Journ. d. prakt. Heilkunde, L. XXI. IV. 100.; ibid. vol. 24. pag. 108. (1810.); ibidem vol. 45. fasc. IV. pag. 109. (1807.)

In Journal de chimie médicale de pharmacie, de toxicologie, et revue des nouvelles scientifiques nationales et étrangères. No. VII. tom. IV. Serie II. Juillet. Paris 1838. recens exponitur veneficium pluraque vetera adduntur.

Veneficium clysmo tabaci effectum, quod dimidio abhinc anno hic ibidem accidit iam prolixius exponatur.

J. St., puer robustus, XXI menses natus XV iam menses hernia inguinali laboraverat, quae ultimo tempore raro tantum prodierat semperque sponte et facile redierat. Praeterlapse anni XXI die mensis Novembris hernia iterum magisque, quam antea prodiit, neque sponte recessit, et sequenti die omnia incarcerationis apparuere symptomata. Parentes autem, qui sperant, fore ut morbus cura medica non adhibita sedaretur, XXIII. demum die Novembris, postquam incarceration tres fere dies duravit, auxilium ab hoc clinico medico petierunt. Puer iam tres dies exoneratione alvi non gavisus, paulum ederat, solito vero plus biberat saepiusque in calorem inciderat, vomueratque neque tamen faeces emiserat. Abdomen expansius repertum

*) Edinb. med. and surg. journal. IX. 159.

est, calorque eius moderatus, neque pressu externo animadversum est dolorem effici, et urinae secretio inturbata fuit. Herniae ipsius calor moderatus itemque ruber fuit, atque in universum incarceration non acutior. Simul universa valetudo bene habuit, neque febris fuit gravior.

Frustra repositionis periculo facto, sex herniae admoti sunt hirudines pluresque saponis clysmos brevibus intervallis adhibere iussum est, quos, si exoneratio alvi non sequeretur, tum clysmata infusi foliorum nicotianae applicari, idque ita, ut uni drachmae foliorum tabaci octo unciae aquae infunderentur atque hoc infusum tribus dosibus iniiceretur. Mater, quae de clysmatis tabaci audierat, cum obstetrice, quae saponis clysmos applicuerat, quum hos exoneratio non statim sequeretur, se audiisse communicavit tabaci clysteres esse adhibendos, si saponis clysmata bonos non haberent eventus, medicum vero ipsum rei interfuturum esse. Sed obstetrix, ubi matri se saepius iam tabaci clysmata applicuisse confirmavit, neque medici hominis ad hanc rem opera esse opus, postquam tabacum parari iussit: mater, quae obstetriciis verbis maximo cum suo dolore fidem haberet tabaci, haud valde pretiosi, uncias fere unam et dimidiam afferendas curavit, unde cum funesta obstetrix adhibita aqua decoctum fecisset, clyσμα huius fluidi iniectum est.

Clysmate vix applicato puer brachiis pedibusque vehementer contremere, profunde aliquoties respirare, contorquere oculos, vultus perfundi pallore atque duabus post clysmatis applicationem minutis his symptomatibus morte occumbere. Sectio non est permissa.

Experimenta instituta in animalibus.

I. Brodie in complurium canium et felis intestinum rectum ʒi — iv fortioris tabaci infusi inspersit. Quo facto animalia paralyti affecta, omnia nondum praeterlapsis decem minutis mortua sunt. Pulsus cordis una ante mortem minuta, non iam animadvertendi fuisse traduntur; unum modo animal vomuit. Sectione statim post mortem instituta, cor repertum valde extensum neque amplius se contraxit; semel tantum cordis auricula instrumentis irritata contrahi coepere, item circulatio aërem inspirando in pulmones dimidiam horam sustentari potuit.

II. Equidem infusum e ʒii foliorum nicotianae, quibus quatuor uncias aquae fervidae infuseram, paravi; post quartam deinde horae partem in columbae intestinum rectum scrupulos duos inspersi. Animal, ubi consedit, scrupulus fere dimidius infusi una cum faecibus eiectus est. Columba initio inclinationem exonerationis alvi ostendit, tristissima, anxiosa et inquieta evasit, alas agitavit, oculos ad dimidiam partem clausit et post tres fere minutas vomere coepit. Sex minutis post iniectum clyisma derepente sinistro pede porrecto collapsa, et mox inde utriusque pedis paralyti affecta est. Iacuit in alvo, ambo pedes porrecti et intenti, minorem quam ceterae corporis partes organici caloris gradum habuere. Vomituritio simulque ad exonerandum alvum inclinatio duraverunt, neque tamen faeces emissae sunt. Oculi aperti, pupilla paulo angustior fuit, iam intervallis quinque fere minutarum universi corporis tremor ortus est, atque pennae imprimis in capite erectae sunt. Postquam animal hanc paralytin horae dodrantem tolera-

vit et alae etiam infirmatae sunt, aliquoties faeces eiecit fluidas, qua de re tabaci etiam infusum eiectum est, et mox inde vires reconciliavit. Paralysis transiit et columba breve tantum etiam tempus anxiam habuit tristemque faciem; sed certe obiisset, nisi corpus nocens esset remotum.

III. Aliud cum facerem periculum Zr eiusdem, quam antea memoravi, formae usque ad ZIII decoxi et huius fluidi Dr in intestinum rectum columbae inspersi, sed ano ligaturam applicui. Paulo postea, ut in experimento superiori vomitus, exonerationis alvi studium, extremitatum paralysis secuta sunt, simul respiratio difficilis et profunda, cordis pulsus frequens, pupilla paulo angustior exstitit, deinde universalis secutus membrorum tremor atque post duodecim horas, quamquam ani ligatura remota erat et columba aliquoties emiserat faeces, universalibus convulsionibus mortua est. Sectio, quam deinde institui, nihil praebuit cognitu dignum.

IV. Paravi ex $\text{Z}\beta$ foliorum tabaci et Zvi aquae fervidae infusum, cuius ZII in pullae felis intestinum rectum intuli et nunc quoque ligatura usus sum. Post duas fere minutas in omnibus membris vehementer coepit tremere, pedibus stare non iam valuit, respiratio brevis et profunda, cordis pulsus frequentissimus et debilis factus est, et post sex minutas convulsionibus levibus animal mortuum est. Sectione facta nihil memoratu dignum inventum est.

CAPUT II.

De providentia, qua in adhibendo tabaco opus est.

Ex iis, quae hucusque exposita sunt, satis patet, nicotiana organismum humanum vehementer affici eamque, quacunque in forma et minoribus etiam dosibus vehementis veneni vires praebere, ideoque huius herbae in usu maxima opus esse cautione, si malos eventus impedire velis.

Internus remedii usus ceterum nondum valde divulgatus rarissime malos effectus ciēt, quamquam semper dosibus pro rerum conditione minoribus initium facias oportet, easque sensim sensimque tantum adaugeas; saepe enim homines invenimus, qui nicotianam aut difficile aut omnino non tolerare possunt, et in quibus e vestigio veneficii symptomata excitat. Infantes et caduci homines minus tabacum sustinent, quam adulti et robusti; atque Fowler se dicit raro hoc remedio in infantibus, qui quintum annum nondum explevissent esse usum, quia in his effectus non manifesto perspiceretur, fortiusque infantes nicotiana afficerentur. *) Semper in usurpanda interne nicotiana observandum est, ut remedium simulac aegroti de vertigine, anxietate, inquietudine, vomituritione et ad diarrhoeam inclinatione doloribusque etiam colicis queri incipiunt, statim re-

*) F. Towler, von den Wirkungen des Tabaks, in den auserlesenen Abhandlungen. Bd. XI, St. 3. p. 399.

iiceas, neve priusquam haec symptomata transierint, ad nicotianam redeas. Praeterea doses ad has res instituendas esse, vix dicere opus est. Conf. §. 5.

Ubi tabacum externe adhibes, cavendum est, ne corrosis laesisque cutis locis, ulceribus etc. applices. Hoc ubi fieri debet, caveas, ne remedium iusto longius insit ulceribus cet., quia hac ratione facillime vehementissimi et perquam periculosi eventus, ipsa etiam mors cieri possunt, nam exceptis clysmis, si remedium cuti externae applicas, effectus vehementissimus est. Conf. §. 4.

Tabacum, quoniam per clysmata applicitum validissimum est, atque hac ratione pleraque fiunt veneficia, medici est, ubi his clysmis utitur praecipuam providentiam adhibere.

Iam necesse est:

- I. medicum tabaci speciem, unde clyisma parandum est,
- II. dosis modum,
- III. formam in qua clyisma usurpari vult, clare indicare;
- IV. ipsum clysmatis, si fieri potest, applicationi interesse, ut eius effectus observare atque ex iis, qua porro opus est, dirigere possit operam.

Quod primum locum attinet, optime ea tabaci species, quae in pharmacopoea nostra indicata est, usurpari videtur; solita enim nicotiana sugi et cui iusculum iam additum est, eius effectus vehementer varii sunt; modo nihil efficit, modo vehementia, quae nervorum morbum aut irritationem canalis intestinalis inflammatorium significant, symptomata efficit.

Quantum ad dosin, maxima opus est providentia, et cavendum, ne iis, quae in multis leguntur compendiis, ubi ingentes a nobilissimis medicis tabaci copiae imperantur, exempli gratia a celeberrimo Richter, *) qui unciam unam cui unciae duodecim aquae infusae sint, adhiberi vult, incitemur, ut similia faciamus, nisi post funestissimos eventus perperam te egisse intelligere velis. In universum statuendum est, neque tamen unquam haec dosis superanda est, infusi foliorum nicotianae e drachmis duobus et duodecim unciis aquae, dimidiam partem per clyisma adhibitam, ubi adultum ceterumque sanum hominem, cuius complexio robusta est, curas, dosin esse idoneam; sin autem infantibus, aut debilibus mederis hominibus dosin minorem esse necesse est; hic potest infusi ex una drachma foliorum nicotianae et unciis decem aquae, dimidia pars per clyisma adhiberi. Hac ratione clysmata tabaci in nostro nosocomio medico ex multis annis optimo cum eventu adhibentur, neque celeberrimi medici de hoc usu aliter sentiunt.

Percivall Pott infusum ad clyisma adhibendum e pinta fervidae aquae et drachma una tabaci parandum curavit. **)

Astley Cooper clyisma infusi nicotianae ita parari iussit, ut uni drachmae tabaci duodecim unciae aquae fervidae infunderentur, quo quidem infuso decem minutis postea usus est. At, inquit, cum validi huius remedii effectus pro aegrotorum constitutione sit alius atque tabaci etiam natura forsitan alicuius sit momenti,

*) Anfangsgründe der Wundarzneykunst. Bd. 5. S. 264.

**) Percivall Pott's chirurgische Beobachtungen, aus dem Engl. übersetzt. Berlin 1776. S. 104.

initio oportet dimidia tantum pars iniiceatur dimidiamque post horam altera, si alteram dosin eventus, qui satisfaciat, non consecutus est. Ii, qui ex aliis audierunt duarum drachmarum infusum, recte una quidem iniectione aegroto inferri, quam supra dixi, cautionem superfluum habeant; sed ego pro meis observationibus confidenter possum affirmare, e praecipite fortioris infusi usu effectus posse proficisci, quorum medicum vehementer poeniteat. *)

In universum haec providentia iusto videtur maior, si effectus respicias, qui tale infusum et in animalibus et in hominibus quoque robustis ceterumque sanis sequuntur. Sine dubio mali eventus non sunt pertimescendi, dummodo universam aegroti conditionem bene examines atque cures, si infusi formam supra praescriptam adhibes.

De clysmatis forma in universum differentiam fortasse non statuas; sed si fumum adhibes, effectus lentiores sunt, usus proprium requirit apparatus, praeterea dosis numquam accurate definire potest ab aegroto accepta, quocirca melius est infusum adhibere, cuius praeterea fortior est certiorque effectus atque usus nunc quidem universus. Lassitudinis, sudoris frigidi, ad synopen inclinationis symptomata, adhibito infuso multo facilius apparent, quam ubi fumo uteris, neve unquam haec symptomata ominosa ducas, contra salutaria sunt haec phaenomena, dumne necessariam cautelam negli-

*) Astley Cooper, Anatomie und chirurg. Behandlung der Leistenbrüche und der angeborenen Brüche, aus d. Engl. Breslau 1809.

gas, neve ad aliam transeas remedii dosin, priusquam illa symptomata praeterlapsa sint.

Quae si omnia in adhibendo tabaco semper observas, nisi fausti e remedio eventus non proficiscentur.

CAPUT III.

De tabaci usu.

Exceptis clysmatibus, quamquam nicotiana non leves habet effectus, atque a claris tentata est medicis, neque sine fructu, usus tamen huius herbae nondum est valde divulgatus.

Fowler, *) qui plurima accuratissimaque tabaco instituit experimenta, hoc remedium, quamquam universalius commendat ad hydropem, nisi torpidus atonicusque huius morbi est character aptum non est, atque vehementer caveas, ne hoc remedium in iis hominibus adhibeas, qui propter organicum cordis vitium hydrope laborant, nam cum in hoc morbo cordis nervorum vires iam sint oppressae, hoc remedium infaustissimi eventus consequi possunt. Ceterum Fowler in XXI hydropicis morbum tabaco expellere studuit, et ter tantum remedium irritum fuit.

Fowler, cum suum infusum adhiberet, a minoribus sensim ad maiores doses transiebat, interea etiam extractum gr. I — II p. d. adhiberi potest. In dysuria

*) Fowler, medical reports of the effects of tabaco. Lond. 1785.

quoque pluries suo infuso optimo cum fructu usus est. „Ut universe, inquit, loquar, infusum tabaci in dysuria validum apparet sedansque dolorem et urinam pellens remedium, quod vias uriniferas amplificat et in dysuria, grisea aut lapidea materie effecta, eius abitum expedit.“

In diversis colicae casibus unam unciam sui infusi per clyisma adhibendam commendat, si adultum solita corporis constitutione curas. Ad eundem auctorem clysmis propter dolorem delinens eorum taediumque excitans ac relaxans ingenium vasorum systema et propter vires irritantes intestinum quoque rectum bene afficitur, unde celerem levationem electionemque faecium efficiunt. Praeterea tabacum commendat in exanthematibus scorbuticis, affectionibus catarrhalibus, in asthma, ubi Roberthus quoque Page hoc remedium cum fructu adhibitum commendat. *)

Pertinax tympanitis intestinalis, quae per integros duos annos omnibus medicaminibus restiterat, tabaci clysmatis, quae paulo supra dictis in colica usurpatis fortiores erant, omnium cum admiratione levata est.

John Vetch **) tabacum commendat in diversis inflammationibus rheumaticis et arthriticis, quibus membranae synoviales affectae sunt, atque confirmat hoc remedio non solum deliniri dolorem inflammationemque levare, sed ita etiam membra aegrotata vehementer adjuvari, ut tonus iis viresque reddantur.

In nervorum morbis digna videtur nicotiana quae

*) Roberth Page, über den Nutzen des Tabaks in einigen Fällen, wo er gewöhnlich nicht angewendet wird, in den auserlesenen Abhandlungen. Bd. 7. St. 1. S. 223.

**) Medico-chirurgic. transactions. Vol. XVI. P. II. S. 356.

saepius usurpetur, quam adhuc factum est; neminem enim tabaco nervorum intentionem minui effugere potest.

In neuralgiis capitis, affectionibus hystericis F o w - l e r tabacum cum fructu adhibuit. In tussi convulsiva, cum extractum tertia quaque hora (grana duo) usurparentur, optimum apparuit remedium.

Corrie*) nicotiana ad chronicam vesaniam usus est, passimque etiam tabacum contra epilepsiam usurpatum est. Courrie epilepticos ita a se sanatos esse dicit, ut nicotianae foliorum cataplasma regioni eorum hypochondriacae applicaret, qua in re clysmata quoque tabaci non erant irrita.

In tetano morbo, qui hucusque omnibus remediis pertinacissime restitit, quo in morbo imprimis A n d e r - s o n tabacum commendat, accuratiori dignum videtur animadversione.**) A n d e r s o n cum primum huius remedii faceret tentamen ad trismum traumaticum servae aethiopis, forte recentium nicotianae foliorum decoctum adhibuit, quo dimidia quaque hora malas col- lumque et pectus fomentanda curavit, deinde cataplas- mata foliorum nicotianae in maxilla inferiori colloque imponi iussit. Balnea calida, quibus tabaci quantum satis illatum erat, tertia quaque hora repetita atque duo

*) Praktische Bemerkungen über Geisteszerrüttung, v. J o - s e p h M a s o n C o x. Aus dem Englischen von R e i l. Halle 1811.

**) Ueber den Gebrauch des Tabaks im Tetanus, v. T h o - m a s A n d e r s o n; übersetzt aus d. Engl. in den auser- lesenen Abhandlungen. Bd. 8. St. 3. p. 462. u. Bd. 10. St. 1. p. 141.

clysmata eiusdem iusculi intra XXIV horas applicita sunt. Praeterea alvus oleo ricini aperta est, neque fumisugium aegrotae antea ereptum quam vellet. Hac medendi ratione soliti tabaci eventus apparuere, quamquam non tanti, quanti in hominibus, qui firma valetudine gaudent. Defatigatio, lassitudo, universali perspiratione indicata, quae antea localis fuerat, primum est effecta. Aegrota hocce modo sanata est. In alia femina aethiope, quae in tetanum vulneratione inciderrat, calidam foliorum nicotianae fomentationem vulneri applicuit, laxans e ialapa et hydrargyro muriatico miti adhiberi atque e forti decocto foliorum nicotianae recens decerptorum balnea parari iussit, quibus aegrota aliquoties per diem uteretur. Aethiops in quoque balneo retenta est, dum taedii sensus vehemensque universalis transpiratio excitaretur; haec medendi ratio usque ad sanitatis reditum continuata est.

Praeterea duos memorat casus, ubi vicissim simile ratione balnea e tabaco parata et clysmata decocti foliorum nicotianae fomentationesque pectori etc. applicitas cum fructu usurpavit.

Anderson se animadvertisse contendit, post magis continuum hunc tabaci usum vehemens valdeque pruriens in capite et collo exanthema existere, quod quidem faustum habet indicium.

Haec vero res ex Andersonii observatione in balnearum clysmatumque e quocunque tabaci specie paratorum usu notatu dignissima est, collapsum nimirum hominis tetanici difficillime effici, qui quidem effectus facillime celerrimeque in sanis hominibus excitatur. Quocirca ubi ad tetanum tabaco uteris specifica remedii

quantitas negligenda est atque solus in usu effectus respiciendus. Ex Andersonii sententia in universum haec sequenda est lex, ut IV libr. herbae siccae unam horam in octo gallonibus aquae coquantur atque haec in balneam tepidum infundantur. — Praeter hos morbos tabacum in aliis etiam multis morbis partim adhibitum, partim commendatum est, quibus brevitatis causa omissis ad usum primum, ad usum nimirum tabaci clysmatum in herniis incarceratis transimus. Ut plerumque atque in universum fere ineptissimum est ad hernias incarceratas laxantia atque drastica etiam fortiora usurpare, sic contra curatione ceterum iusta atque idonea e clysmatis optimi fructus percipi possunt, atque in hac morborum specie tabaci clysteres multo magis, quam adhuc factum est adhibendi esse videntur. Rarissime remediumt empore opportuno iustaque ratione adhibitum frustrabitur, immo saepe chirurgum cultro operationem perpetraturum voluptate chirurgica privat atque multo lenius id praestat, quod chirurgi culter, cuius manus maxima habilitate excellunt, praestare non potest. *) Quamvis ab hoc quoque passim remedio destituamur, hoc Aesculapii mysteriis initiatus parum admirabitur, cum idem in aliis remediis, quorum contra certos morbos efficacia ab omnibus agnita est, quotidie animadvertamur.

Remedii effectus, si adhibetur in formam redactum cap. II. significatam, cognoscitur debilitate, quam ciet; oriuntur sudores frigidi, pulsus debilis fit et frequens, vertigo, vehemens vomitus, muscularum abdominis convulsiones, syncopes etiam impetus existunt; deni-

*) Percivall Pott's chirurgische Beobachtungen.

que tantam membrorum efficit defatigationem, ut aegrotus musculum, qui voluntati obnoxius est, non valeat commovere. Tali exorto universali collapsu hernia plerumque aut sponte aut levi pressu in abdomen reicitur, quamvis antea multo maiorem vim superaverit.

Saepe plures tales clysmi applicentur oportet, priusquam eventus appareat; immo Percivall Pott 3i tabaci a se esse consumptum narrat, priusquam quod voluit efficeretur atque nonnisi applicata uncia altera solita symptomata apparuere; aegroti de motu in abdomine herniaque queri coepere atque tunc brevi fere tempore hernia rediit. Qua de re exoptatus eventus desperandus non est, si non effectus remedii e vestigio apparet. Certe si doses iusta adhibita cautela repetantur, effectum non desiderabis. Plura exempla, ubi difficillimae diversissimaeque incarcerationes tabaco sublatae sunt, exposuit Percivall Pott.

V I T A.

Ego **Carolus Bernhardus Draeger**, confessioni catholicae addictus, anno MDCCCXIV. die XIII. Maii, patre Ioanne, matre Elisabetha Dorothea e gente Degenhardt, quos parentes dilectissimos iam defunctos vehementer lugeo, Steinbachii pago Eichsfeldiaco natus sum. In gymnasio Heiligenstadiensi, quod Directore Cl. Rinke floret, primis litteris per septem annos imbutus, litterarum universitatem Halensem adii et in civium academico-
rum numerum anni MDCCCXXXIV. die XI. Novembris t. t. Rectore magnifico Cel. Germar, Decano spectatissimo, Cel. Krukenberg receptus sum.

Per quadriennium hisce praelectionibus interfui; Cel. Gerlach de logice, de psychologia; Cel. Schweigger de physice, de chemia; Beat. Nitzsch de zoologia, de helminthologia; Cel. Germar de mineralogia; Cel. de Schlechtendal de botanice; Cel. d'Alton de anatomia, arte cadavera rite dissecandi, ac physiologia; Cel. Friedlaender de materia medica; Cel. Krukenberg de pathologia atque therapia tam generali quam speciali; Cel. Niemeyer de arte obstetricia; Cel. Blasius de chirurgia generali atque speciali, de fracturis atque luxationibus, de ophthalmologia et de arte fascias applicandi.

Scholas clinicas, medicam directore Cel. Krukenberg, per biennium, chirurgico-ophthalmiatricam directore Cel. Blasius, per tria semestria, et obstetriciam directore Cel. Niemeyer per semestre frequentavi.

Quibus omnibus de me maxime meritis viris habeo atque semper maximas gratias habebo.

T H E S E S.

I.

Omnes nicotianae tabaci partes sunt venenosae.

II.

Hernia incarcerata remedia purgantia vetat.

III.

Blennorrhoea nil nisi exitus inflammationis.

IV.

Scrophulosi nulla dyscrasia saepius invenitur.

V.

Tunica oculi conjunctiva certe ad membranas referenda pituitosas.

Accession no.

9339

Author

Draeger, C. B.

De vi atque usu
nicotianae tabaci.

Call no.

19th cent.

RC 567

8385D

